



# INDIA NOVA

Nouam Indiã tibi lector in ista tabula exhibemus cum in-  
finitis insulis. Dico nouã, quod longe post Ptolemãũ ab Eu-  
ropeis hominibus fuerit illa extrema orientalis regionis por-  
tio cũ annexis insulis inuẽra. Calicutu uero, Canonor, Cam-  
baia, Narsinga &c. regiones sunt non nouæ, quippe quæ ue-  
teribus quoq; fuerint cognitæ, sed noua nomina, & quæ no-  
uo nauigationis itinere nostro tempore cœperũt adiri. Nam  
ut in tabula noua Africæ scripsimus, Portugallenses hodie  
circumeunt totã Africã, & per angustias maris rubri uelificãt  
in Orientẽ ad Ormum insignem insulã, ad Cambaiã & Cali-  
cuth nobilissimũ emporiũ, ubi totius Orientis cõfluunt mer-  
catores, comportãtes omnia aromatum genera, cinamomũ,  
piper, gariophylum, zinziberim, thus, lacham, ligna sanda-  
lij, nuces muscatas, camphoram, pannos sericeos omnium  
generum, margaritas & lapides præciosos uarij generis, mus-  
cum, aloẽ &c. Nascitur autem in Calicutu & regno Nar-  
singæ piper, zinziber, cardamomum, myrobalanum & ca-  
sia: reliqua aliunde importantur. Spicus nardus & myroba-  
lanum ex Cambaiã & uicino regno Cuchino aduehuntur.  
Asportatur quoq; inde bombix & sericum in magna copia,  
sicut & de regno Pego. Inuenitur etiam in eo regno onyx,  
calcedonius & adamas. In Ormo insula legũtur uniones in  
magna copia. Zaylon insula mittit rubinos, hyacinthos, sap-  
phyros ac topazios. Regnum Malaqua seu Malacha, mittit  
sandalium, psitacos, elephantes, pardos &c. Sumatra insu-  
la miram habet copiam piperis & serici. Camphora arboris  
cuiusdam gummi, in Porne insula inuenitur. In insulis uero  
Monoch & Bandan haud multum à Porne distantibus, cre-  
scunt nuces muscatæ & gariophylum. Insula Zipangri plu-  
rimo abundat auro, & ingentibus pollet diuitijs. Insulae Pe-  
tan & utraque laua, maior & minor, proferunt magnam co-  
piam piperis, nucum muscatarum, spici, galangæ, & cætero-  
rum aromatum. In Madagascar insula plurimi sunt elephan-  
tes, & idcirco magna est in ea præciosi ebõris nundinatio.  
Sunt etiam in ea multa nemora sandalorum. Huic haud disti-  
milis est Zanzibar insula, abundans leonibus, leopardis, &  
alijs uarijs bestijs syluestribus. De maximo imperio Cathay,  
de prouincia Mangi, de urbibus Quinsai & Cyamba, multa  
habes in secundo & tertio libro Pauli Veneti.

